

380

378

384

374

389

369

429

329

479

279

Ende

Anfang

365

Scripturarum habuerint, quis Judaeus fuit magister ejus, quae ab initio viarum suarum possedit aeternam sapientiam? Attende frater dilecte, et domum hanc nequaquam spreveris, sed eam scholam beatae Virginis fuisse crede. Quamvis enim doctore homine indigua non fuerit, discipula tamen fieri propter meritum humilitatis non recusavit, sicut etiam legalem purgationem accepit, non ex necessitate, sed ex humilitate. Sic etiam Dominus Jesus, aeterna sapientia, inter doctores sedit, eos audiens et interrogans et nec auditu nec interrogatione proficere in scientia potuit. Recessimus ergo ad murum domus illius, et cum deosculati sumus, et indulgentias accepimus (†) et consuetas orationes diximus.

### De templo Domini, quod dicitur templum Salomonis.

Paululum inde progressi ad locum venimus, ubi ad dextram transitus erat testudinatus, qui transitus erat dealbatus, et lampades ardentes pendebant in eo; ante illum transitum stetimus, et per eum in templi atrium prospexit, ipsum etiam templum, quod nominant Salomonis, vidimus. Fleximus ergo genua, et verum illius templi Dominum adoravimus, et indulgentias (++) plenariae remissionis accepimus ibi.

Quamvis enim templum hoc pro nunc sit muschea et maledictus Machometus in ea colatur, olim tamen erat ecclesia sanctissima, et futura est, et multiplici miraculo Salvatoris nostri sanctificata. Ideo indulgentiae non obstante Machometo durant, cum ipsa ecclesia stet in sanctissimo loco, et olim fuerit Christo aedificata et dedicata. De hoc templo et ejus descriptione, et quis eam aedificaverit, et quale moda sit, dicam fol. 257 A et in sequentibus. De Sarracenorum muscheis, quas Canones nominant mesquitas, vide in spec. histor. Libr 24. C. 82, et infra P. II. fol. 104.

### De loco nativitatis beatae Mariae Virginis super piscinam probaticam.

(B) Repulsi autem citius fuimus a templi inspectione. Non enim aequanimiter ferunt Sarraceni, ut hoc templum inspiciamus, vel quod ei quovis modo appropinquemus. Secessimus

